



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hydra Prophanarum Novitatum, Sive Descriptio
Historico-Theologica causarum principalium omnium
irrepentium Hæreseon ac Schismatum: unàque Generalis
earundem prophanarum Novitatum confutatio**

Alexander <a Sancta Theresia>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Proludium II. Quàm horrendorum prophana Novitas ac Schisma sint causæ
malorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35361

quia multos Deos non potuit fabricare, Christianis sectas (seu schismata) multiplicavit.



PROLUDIUM II.

Quàm horrendorum prophana Novitas ac schisma sint causæ malorum.

INter plurima ac varia scelera quæ humanum invadunt ac perdunt genus, schisma ac prophana novitas potissima sunt ac nocentissima; quis enim explicare valeat, quanta trucidantis hisce criminibus inducatur Religionis deformatio, quanta calamitas stragesque corporum ac animarum? Quæ vis eloquentiæ, quod orationis flumen adeò atrociam ac tetra mala aptè depingat, ac verbis sic efferre queat, ut rei indignitati sermonis respondeat acerbitas? Tentandum tamen, & formidanda malorum lerna pandenda, ut nota extirpetur ac devitetur. Malorum ergò omnium auctor, ac perpetuus invocatusque humanæ salutis hostis, serpens infernalis, ob superbiam, quâ Altissimo similis esse impiè percipi-

cupivit, è cœlesti folio in imum tartari abyssum detrusus, mille artibus ac fraudibus humanum genus à felicitate, quàm justo Dei iudicio amisit, machinatus est seducere, iisdemque secum perpetuis miseriis involvere. Hinc pro concepta invidia à tempore conditi terrarum orbis *circuit indefinenter quærens quem devoret*: (a) Ille quippè serpentinâ calliditate, morfu venefico pomi vetiti (b) primos parentes divini mandati prævaricatores effecit, eosq; cum sua posteritate de paradisi amœnitate in vallem detrusit miseriarum, ejusque astutâ malitiâ ac *invidiâ mors intravit in orbem terrarum*. (c) Ille primus ac novissimus homicida, in fratrem à primo fratre homicidium excitavit. (d) Ille tentationum suarum laqueis homines cœdæ libidinis servos effecit (e) (*omnis quippè caro corruerat viam suam*) quos Deus justâ vindictâ ultrici diluvio delevit. Ille ad varia deinceps scelera miseros seduxit mortales: at verò tribus potissimum, iisque perniciosissimis eos est adoratus; idololatriâ, nimirum, hæresi, ac schismate. Idololatriâ verò id est assecutus, ut cultus veri Dei, inanibus creaturis, ipsique diabo fuerit impensus. Videns tandem idola desereri, ac unum verumq; Deum adorari, ac devotis mentibus serviri; fraudem aliam excogitavit versipellis, & occultis cuniculis, ac secretissimis insultibus Ecclesiam est adoratus: Hæreticos, inquam, ac schismaticos excitavit, qui, cùm sint lupi rapaces

a 1. Pet. 5.

b Genes. 2.

c Sap. 2.

d Genes. 4.

e Genes. 6.

paces

paces, dæmonisque satellites, se in Angelos lucis transformant, & imperitos incautosque mortalium animos, qui à veri Dei cultu avocari non poterant, falsis dogmatibus, impiisque erroribus circumveniunt: quod jam dudum observavit, ac hisce verbis expressit S.

a Lib. 18. de
civit. Dei
cap. 51.

Augustinus: (a) *Videns Diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, Hereticos movit, qui sub vocabulo Christiano, doctrinae resisterent Christianæ. Quæ omnia latius ac luculentius exponit D. Cyprianus, dicens: (b) Hæreses in Ecclesiam invexit Diabolus, qui per pacis & pietatis imaginem fallens occultis accessibus serpit. Unde & nomen serpentis accepit. Quemadmodum ab initio statim mundi fefellit, & verbis mendacibus incautâ credulitate decepit: sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus, & falleret, latenter accessit. Intellectus tamen est, & retrusus. At post adventum Domini eadem astutiâ semper usus est: postquam enim vidit idola relicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitavit artem novam, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos: Hæreses invenit & schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumpere, scinderet unitatem. Quâ arte & astutiâ primùm Hereticos excitat, deinde per ipsos tanquam satellites & ministros suos, multos ex Ecclesia rapit, quorum ita mentem & animum fascinat, ut Christianos se vocent; & ambulan-*

b Lib. de
simpl.
Prelat.

tes in terrenis, lumen se habere existiment, blandiente Diabolo, atque fallente. Qui & sæpè Christum se esse mentitur, ipso Domino præmonente, & dicente: (a) multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus. Secundùm Apostoli vocem (b) transfigurat se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros justitiæ: afferentes noctem pro die, (c) interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hæc inclytus Martyr ac Præsul Cyprianus, quibus graphicè hæreseos mala, Hæreticorumque astus depinxit. Quid igitur hoc crimine deterius, quid exitiosius queat excogitari? Quid fraudulentius, quid ab omni humanitate alienius, quàm oves Christi errore redemptas objici lupis rapacibus, ovillis vestimentis indutis, eoque ab eis abduci, ut falsa impiaque dogmata amplectentes, se veram arbitrentur tenere fidem, & cum in densissimis ambulent tenebris, se meridianâ credant gaudere luce, cumque Christianam legem pessumdent, Christianos se, Evangelicos, Illuminatos, ac Christi discipulos gloriantur. Hic hæreseos fructus, fidem, inquam, sine qua docente Apostolo, (d) impossibile est placere Deo, tollere, adeoque basim ac fundamentum super quod velut super firmissimam petram Deus ædificavit, subvertere. Sublato verò

a Matth.
24.

b 2. Cor.
11.

c Isa. 5.

d Heb. 11.

C

hoc

hoc Religionis salutisque fundamento, eheu
quã tetra, quã tragica exoritur in Ecclesia
domo Dei confusio! quã horrenda, quã
truculenta exundant mala tum corporalia
tum spiritualia! Sacrosancta Sacramenta, gra
tiæ divinæ vasa, proculcantur: Sacræ cæremo
niæ, Ecclesiastici ritus, quos ad divini cultus
augmentum frequentat Ecclesia, velut Paga
nismi aut Judaismi superstitiones abjiciuntur
Ecclesiæ salutaria statuta convelluntur: pro
Religione blasphemiam in Deum, Divosque in
ducuntur: Religiosi, cæteræque Deo dedica
tæ personæ neci traduntur, aut vitam morti
ipsa amariorum ducere coguntur: Monaste
ria ac Ecclesiæ solo adæquantur: Regna, Pro
vinciæ vastantur, ac sæpè transeunt ad infide
les. Hæc ac consimilia, aut etiam immaniora
per prophanas novitates inducuntur mala
quæ si singulatim velim recensere, proluxa ni
mis ac lutuosa foret oratio: quia tamen sanior
sa ac sordida ulceris putredo est penitus rete
genda, ut maturior ac salubrior queat adhibe
ri medicina, nec ullatenus dissimulanda pestis
illa, quæ homines spiritualiter enecat, à Chri
sti corpore præscindit, diaboli laqueis impli
cat, cælestibus donis spoliat, Regno cælorum
extorres, & gehennæ incendio obnoxios red
dit; quæque cæca quadam colluvie universa
subvertit; quia, inquam, tot, tantorumque
malorum *prophana novitas* est scaturigo, ea
dem incommoda ex Patribus juvabit aut at
texere,

texere, aut retexere, ut eorundem causa omnibus viretur modis, ac publico omnium persequatur odio.

Primum audiatur Vincentius Lirinensis, (a) prophanarum novitatum profligator strenuus, antiquus, ac perdoctus, loquens de horrendissima Arianæ novitatis malorum lerna: *Cujus quidem temporis (grassantis Arianismi) periculo satis superque monstratum est, quantum invehatur calamitatis, novelli dogmatis inductione. Tunc siquidem non parvæ res, sed etiam maxima labefactata sunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitie, Domus; verum etiam urbes, populi, Provinciae, Nationes, universum postremo Romanum Imperium funditus concussum & emotum est. Namque cum prophana ipsa Arianorum novitas, velut Bellona quadam aut Furia, capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset, nequaquam deinceps destitit, universa miscere atque vexare, privata ac publica, sacra prophanaque omnia, nullum boni & veri gerere discrimen, sed quoscumque collibuisse, tanquam de loco superiore percutere. Tunc temerata conjuges, depopulata vidua, prophanata virgines, Monasteria demolita, disturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergastula, carceres, metalla; quorum pars maxima interdictis urbibus profusi atque atroces, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti,*

a Lib. contra prophan. novit. cap. 6.

attriti, & tabefacti sunt. Atqui hæc omnia
numquid ullam aliam ob causam, nisi utique
dum pro cœlesti dogmate humana superstitione
introducuntur, dum bene fundata antiquitas
scelestâ novitate subruitur, dum Superiorum
instituta violantur, dum rescinduntur scita Pa-
trum, dum convelluntur definita Majorum,
dum sese intra sacrate atque incorruptæ vetusta-
tis castissimos limites prophana atque novella
curiositatis libido non continet? Ecce fructus
prophanæ novitatis paucis depictos, quibus
haud absimiles ætatis nostræ novissimos No-
vatores & videmus, & audimus, & experiri
profere, quos clarissimus Floremundus Re-
mundus, (a) aliisque præsentium Hæreticorum
mores describentes, manifestant.

a Lib. de
ort. &
prog. Hæ-
res. hac
xvi.

b S. Ber-
nard. E-
pist. 195.

c 2. Tim.
3.
d Matth.
7.

Non gravabor autem generaliter dictæ
duorum insignium Novatorum, ac fraudu-
lentorum grassatorum adstruere exemplis,
Doctore Mellifluo mutuatis, (b) Arnaldi ni-
mirum de Brixia, ac Petri Aylardi, Arnaldum
loquor (inquit S. Doctor) de Brixia, qui uti-
,, nam tam sanæ esset doctrinæ, quam discre-
,, tæ est vitæ. Et si vultis scire, homo est ne-
,, que manducans, neque bibens, solo cum
,, Diabolo eturiens & sitiens sanguinem ani-
,, marum. Unus de numero illorum, quos A-
,, postolica vigilantia notat, (c) habentes for-
,, mam pietatis, virtutem illius penitus abne-
,, gantes. Et ipse Dominus: (d) venient
,, (inquiens) ad vos in vestimentis ovium, in-

criti-

trinfecus autem sunt lupi rapaces. Is ergò uf-
 que ad hanc ætatem ubicumque conversatus,
 est, tam fœda post se, & tam læva reliquit ve-
 stigia, ut ubi semel fixerit pedem, illuc ultrà,
 redire omninò non audeat. Denique ipsam,
 in qua natus est, valdè atrociter commovit,
 terram, & conturbavit eam. Unde & accusa-
 tus apud Dominū Papam schismate pessimo,
 natali solo pulsus est, etiam & abjurare com-
 pulsus reversionem, nisi ad ipsius Apосто-
 lici permissionem. Pro simili deinde causa,
 & à regno Francorum exturbatus est schif-
 maticus insignis. Execratus quippe à Petro,
 Apostolo, adhæsit Petro Abarlardo, cujus
 omnes errores ab Ecclesia jam deprehensos,
 atque damnatos, cum illo etiam & pro illo
 defendere acriter & pertinaciter conabatur.
 Et in his omnibus non est averfus furor ejus,
 sed adhuc manus ejus extenta. Nam etiam,
 ita vagus & profugus super terram, quod
 jam non licet inter suos, non cessat apud alie-
 nos, tanquam Leo rugiens, circuiens & quæ-
 rens quem devoret. Et nunc apud vos, sicut,
 accepimus, operatur iniquitatem, & devorat
 plebem vestrâ sicut escam panis. Cujus ma-
 ledictione & amaritudine os plenum est, ve-
 loces pedes ejus ad effundendum sanguinem.
 Contritio & infelicitas in viis ejus, & viam pa-
 cis non cognovit. Inimicus crucis Christi, se-
 minator discordiæ, fabricator schismatū, tur-
 bator pacis, unitatis divisor. Cujus dentis at-

„ma & sagittæ, & lingua ejus gladius acutus
 „Molliti sunt sermones ejus super oleum,
 „ipsi sunt jacula. Unde & sibi solet allicere
 „blandis sermonibus, & simulatione virtutum
 „divites & potentes, juxta illud: (a) Sedet
 „in fidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat
 „innocentem. Demùm cum fuerit de illorum
 „rum captata benevolentia & familiaritate
 „curus; videbitis hominem apertè insurgere
 „in Clerum, fretum tyrannide militari, insurge-
 „gere in ipsos Episcopos, & in omnem partem
 „Ecclesiasticum Ordinem desævire. Et in fine
 „vocat eum lupum magnum & ferum ut Chri-
 „sti irrumpat ovilia, oves mactet & perdat.

Videas hic in leone expressos catulos, in unum
 inquam Arnaldo, prophano Novatore, ceterorum
 rorum genium, astus, crudelitatem, impietatem
 delineatam, quod si amplius, quantum malorum
 invehat schisma, velimus perspicere, bona ex
 unitate, pace, ac concordia manantia perpende-
 mus; tantò enim malum quodvis est pejus
 quantò meliori opponitur bono. Si igitur tan-
 desiderabilis, tam grata sit pacis unitatisq; pub-
 chritudo, ut à cunctis exoptetur; si concordia
 res parvæ crescunt, si universa floreant, ubi flo-
 ret illa; si tam splendida sit publicæ pacis tran-
 quillitatisq; majestas, ut vix comperias quomodo
 cum ea compares: profectò ingens ac horrendum
 dum schisma existit malum; quippè quod con-
 concordiam rumpit, pacem dissipat, lites ac dis-
 fidia inducit; quod unitatem Fidelium Deo
 gratis

Psal. 9.

gratissimam, ac mortalibus fructuosissimam dilacerat. Unde Ecclesiæ deformatio, totiusq; penè Religionis consequitur devastatio, ac omnis pietatis, meriti, ac sanctitatis ruina: nō enim potest gratiæ ac sanctitatis à Christo particeps fieri, qui pestifero schismate à Christo probatur separari. Hinc S. Augustinus: [a] *Mundantur*, inquit, *homines & verbo veritatis ab illo, qui ait: (b) Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. Mundantur & sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: (c) Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Mundantur & Eleemosynis ab eo qui ait: (d) Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, charitate ab illo, qui per Apostolū Petrū dixit: (e) charitas cooperit multitudinem peccatorum. Quæ una si adsit, omnia illa rectè fiunt: si autem desit illa, omnia frusta sunt.* Schismatici autem carent charitate; Non enim potest (ait idem magnus Doctor) esse particeps divinæ charitatis, qui est hostis unitatis. Audiant ergò, loquantur, jaectent purum Verbum Dei, prædicent contritionem perfectam (quæ unicè consulo, & commendo) aut etiam eam se habere simulent, distribuant omnes suas substantias in pauperes, tradant etiam corpora sua, ita, ut ardeant, cum unitatem & pacem non habeant, nihil ipsis omnia proderunt; quæ enim in unitate fuissent utilia, in schismate redduntur infructuosa: Et quod concordibus valet ad re-

C 4

gnum,

a Lib. 2.

contra

Cresco.

cap. 13.

b Ioan. 15.

c Psal. 50.

d 1. Luc. 11.

e 1. Petr. 4.

gnum, schismaticis valet ad iudicium, ut idem S. August. de Schismaticorum loquitur baptismo. (a) Nec enim solū efficit schisma, ne quid salubriter à dissidentibus agatur; verum etiam ut membris à reliquo corpore resectis vita eripiatur: Hæc enim veritatis vox est: (b) *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmet, & arefcet, & colliget eum, & in ignem mittent, & ardet.* In Christo autem non manet, qui Ecclesiam, corpus Christi, schismate divellit: unde sicut hic ab ovibus Christi divisus est, ita in extremo die ab eisdem separatus cum hædis æternis gehennæ incendiis adjudicabitur. Nihil itaque, inquit idem August. (c) *prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei Sacramentum, ubi lethali vulnere schismatis perempta est sanitas charitatis, per cuius solius peremptionem etiam quæ integra sunt, trahunt ad mortem.* Imò non veretur S. Doctor asseverare, graviora esse crimina schismaticorum, quam Idololatrarum: *Tempore illo, inquit, (d) quæ Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda demonstravit, & idolum fabricatum atque adoratum est, (e) & Propheticus liber ira Regis contemptoris incensus, & scisma tentatum. & idololatria gladio punita est, exustio libri bellicæ cæde & peregrinâ captivitate (f) schisma hiatu terre sepultis Authoribus vivis, & cætoris cælesti igne consumptis: Quis jam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum? Quibus aperte asserit Augusti-*

a L. 1 contra Cresco. cap. 23.

b Ioan. 15.

c L. 2 contra Donat. cap. 6.

d Ibid.

e Exod. 32.

f Hier. 36.

gustinus funestum schismatis crimen idololatriâ esse atrocius, eò quod illud sit hoc à Deo punitum gravius.

Hic jam juvabit commemorare, quæ in eadem sententiam scripsit Opratus Milevitanus adversus Schismaticos Donatistas,, (a) Schisma summum malum esse & vos negare minime poteritis. Et tamen Dathan & Abyron, & Chore. (b) perditos magistros vestros, sine trepidatione estis imitati, nec ponere ante oculos voluistis, hoc malum & verbis Dei esse prohibitum, at admissum graviter vindicatum. Deinde esse distantiam delictorum aut remissio testatur, aut pœna. Denique inter cætera præcepta etiam hæc tria jussio divina prohibuit: Non occides, nō ibis post Deos alienos. Et in capitibus mandatorū: Non facies schisma. Videamus de his tribus, quid oportuit puniri, & quid meruit relaxari. Parricidium principale delictum est, & tamen Cain (c), nec reus à Deo percutitur, sed occisus vindicatur. In Ninive (d) civitate hominum numero centum viginti millia sacrilega quæ Deos alienos sequi videbantur, post iracundiam Dei, & nuntium Jonæ Prophetæ, jejunium parvi temporis, & oratio indulgentiâ meruit. Videamus si aliquid tale consecuti sunt ii qui populos Dei primitus ausi sunt scindere. Tot millibus virorum Israël, quorum à cervicibus divina providentia jugum servile dejecerat, Aaron tantum unum præfecerat Sacerdotem: (e) sed cum ministri ejus Sacer-

a Lib. 1.

b Num.

16.

c Genes.

4.

d Iona 3.

e Num. 16.

„dotium non sibi debitum concupiscentes,
 „seductâ parte populi illicitè invaderent, ritum
 „Sanctorum imitati sacrorum, ducentos, &
 „quod excurrit, ministros secum perituros
 „cum thuribulis in fronte seducti populi po-
 „suerunt. Deus, cui displicet schisma, hoc li-
 „benter videre non potuit. Indixerant quodâ-
 „modò Deo bellum, quasi esset alter Deus, qui
 „alienum acceperat sacrificium. Igitur Deus
 „pro neglectis mandatis iratus est irâ magnâ;
 „& quod in sacrilegos & parricidam non fe-
 „cerat, in schismaticos fecit. Stabat ministro-
 „rum acies & multitudo sacrilega, cum inter-
 „dictis sacrificiis suis illicò peritura, negatum
 „& subductum est omne tempus; quia non ta-
 „lis erat culpa, quæ veniam mereretur. Man-
 „data est terræ fames, statim fauces suas in popu-
 „li divisores aperuit, & contemptores manda-
 „torum Dei arido ore absorbit. Intra mo-
 „menti spatium ad transgluriendos prædictos
 „terra paruit, rapuit, clausa est. Et ne benefi-
 „cium de mortis compendio consequi vide-
 „rentur, dum non essent digni vivere, iis nec
 „mori concessum est, tartareo carcere subito
 „clausi, ante sunt sepulti, quàm mortui. Et mi-
 „ramini, vobis aliquid tale asperè factum, qui
 „schisma aut facitis, aut colitis, cum videatis,
 „quid magistri primi schismatis pati merue-
 „runt. An quia cessat talis modò vindicta, ideò
 „tibi cum tuis vindicas innocentiam? Deus in
 „singulis rebus exemplorum posuit formam,
 ut sit

ut sit quod imputet, & imitantibus prima,,
peccata ad exemplum præfens pœna com-,,
pressit; secūda iudicio reservabit. Quid ad hæc,,
dicturi estis, qui schisma usurpato Ecclesiæ,,
nomine, & occultè nutritis & impudenter,,
defenditis? Hæc præclarè Opratus, & ad rem,,
qua denunc agimus, perquam accommoda,,
quæ propterea prolixius affirmavi producen-
da, mirificè siquidem schismatis crimen red-
dunt formidandum.

Subnectam tandem malorum illiadem com-
pendio expressam, quam per Arianum schisma
pestilentissimum inductam, describit D. Greg.
Nazianz. (a) unaq; nostri temporis calamitates *a Orat. 12.*
ex schismatibus tam confusis ac feris ortas, vi-
vis depingam coloribus. Iterum tempestas,,
contra Ecclesiam insurrexit, superbia iniqui-,,
tatis, supplementum impietatis, malorum spi-
rituum legio, lingua Antichristi, mens iniqui-,,
tatem contra altitudinem loquens, Deitatis,,
incisio, cujus primus conatus non fuit adeò,,
molestus, ultimus verò longè molestissimus,,
& nequaquam Judæ proditione inferior ...,,
Rursus regnum impium, rursus malum re-,,
vertitur, & non secus ac ex ulceribus recisis,,
fanies effunditur, & lupi graves, alius aliundè,,
nos discerpens, Ecclesiam dilacerant, sacrosq;,,
contra Sacerdotem armatur, ac populus con-,,
tra populum insanit. Rexque (b) impietati,, *b Constā-*
tribuit audaciam, ac leges contra rectam fert,, *tiuse & Val-*
opinionem; sed nec mulieres penes ipsum in,, *lent.*
pretio

„pretio fuere. Quâ tragœdiâ, quis ea quæ tum
 „evenêre mala explicare possent? Fugas, bono-
 „rum publicationes, ignominias, ad loca de-
 „serta commigrationes, infinitorum hominum
 „& civitatum subditi macerationes, quum
 „imbre & nive undiq; premerentur, regrel-
 „siones indè : nam nec in solitudinibus sine
 „periculo diversari poterant : sed & his gra-
 „viora etiam, nempe verbera, mortes, trium-
 „phos Episcoporum, Philosophorum, viro-
 „rum, mulierum, juvenum, senum : hos gra-
 „viora excogitantes, illos graviora superad-
 „dentes, alios verò præfectos impietati deser-
 „vientes, quos plerumq; solùm in altum extol-
 „lebat, quod amarulentiores viderentur, quàm
 „imperantis esset voluntas. , Paulò infra, „De-
 „inde secunda quædam Ægypti plaga & fla-
 „gellum, veritatis proditorem illum in Eccle-
 „siam introduxit : luporum pastorem, qui su-
 „per ovile ascendit latro; secundus Arius, (a)
 „turbida, & ad bibendum pestilens lacuna, im-
 „pii fontis fluvius largior. Sanè referre piget
 „iniquitates & cœdes, per quas fera illa sacrum
 „occupavit thronum, nec non pravi introitus
 „prœludia; nihilominus tamen pauca è multis
 „deplorabo, quæ & vos deplorabitis, & plus
 „quàm deplorabitis. Ad hunc autem luctum
 „divini Davidis verbis utemur. Deus ingrel-
 „si sunt Gentes in hæreditatem tuam, inqui-
 „naverunt templum sanctum suum, & quæ
 „sequuntur. Exposuerunt morticina servorum
 tuorum

a Lucius
 Arius,
 Samosæ
 Episcopus.

tuorum in cibum volatilibus & dilanationē,,
feris. Addam his & alia ejusdem ex alio lu-,,
ctu & cantu : quanta mala inimicus in sancto,,
tuo perpetravit, & gloriati sunt qui te ode-,,
runt, in medio festivitatis tuæ : quomodo e-,,
nim non sunt gloriati? Quomodo non inqui-,,
naverunt templum calamitatibus multiplici-,,
bus & malis omnimodis? Præfuit enim vir,,
divinitatis contemptor & iniquus, & nec no-,,
mine quidem Christianus; hoc enim ex inju-,,
ria illa gravissimum fuit ... Adjungebaturq;,,
illi potentia ira flagrans, & exercitus alienus,,
ac immitis contra inermes & perituros. Ex-,,
pulsus est Sacerdos (a) Sancti illius successor,,
qui lege & ordine spiritus erat delibutus, ca-,,
nitieque ac prudentiâ venerandus. Regnabat,,
autem Tabeel ille hæres rerum alienarum, e-,,
tantque contra Sanctos arma, contra alylum,,
manus scelestæ, contra cantus tubæ. Sed & se-,,
quentia mihi considera, viros cadentes in San-,,
ctis, mulieres pedibus conculcatas, ex hisce a-,,
liquas cum onere naturæ, partus immaturos,,
seu ut exactiùs dicam, nondum partus, virgi-,,
nes miserabiliter distractas, & turpiùs verbe-,,
ratas; pudet enim me coram viris & mulieri-,,
bus modum referre, ac sermone turpitudinis,,
secreta deregere, quemadmodum tum fuere,,
defectæ; pudet referre, quod quædam ob spe-,,
ctaculi turpitudinem se in puteû, qui in tem-,,
plo erat, dejecerint : aliæ autem ex superiori-,,
bus se præcipitaverint, nonnullæ verò jacen-,,
tibus

a Petrus
Successor
Athanasii

,,tibus accumulatae fuerint, caedes super caedes,
 ,,cadavera super cadavera, sacrosancta conta-
 ,,minatis conculcata pedibus, altaria figuris
 ,, & cantibus. Et ut audio (cur hoc audax lin-
 ,,gua profert) saltationes super illis, & Eccle-
 ,,siae resonantias crepitaculis violatas, linguas
 ,,blasphemias super sacris Thronis concionan-
 ,,tes. Mysteria in comaedias conversa, psal-
 ,,modias tacentes, & pro illis ululatus excita-
 ,,tos, sanguinis rivus, lachrymarum fontes, Sa-
 ,,cerdotes ductos, Monachos dilaceratos, totam
 ,,discursionis imaginem, quam olim Assyrii per
 ,,sanctam discurrunt Hierusalem, quam nec
 ,,sermo dignè explicare, nec auditus percipere
 ,,posset, sed sola Hieremiae anima & vox, ut de-
 ,,ceret, deplorare valeret, qui & lachrymarum
 ,,fontes expetit, & de muris super talibus la-
 ,,mentans afflictionibus protestatur, cantuq;
 ,,luctum ciet, quod Sion Festivitates suas ne-
 ,,quaquam celebrat. Proinde quemadmodum
 ,,haec acta sunt, ortus novit, deploravitq; occa-
 ,,sus: verè enim symbola fuere vecordiae. Sacer-
 ,,dos expulsus triumphum egit: quo pacto? Ante
 ,,Romanorum Ecclesiam (*observa, quò in ex-
 ,,tremis irrepentis haeresis calamitatibus sit con-
 ,,fugiendum*) vestram sanguinolentam pro mor-
 ,,tuis exposuit, ibiq; per silentii accusationem
 universis lachrymas excussit. Haecenus D.
 Greg. Nazianzenorum Praesul illustris, Arianæ
 novellæ perfidiae deduxit, luxitq; funestissima
 mala: *Cujus quidem* (ut denuò cum Vincen-
 tio Joquar Lirinensi) *temporis periculo satis su-
 perque*

perque monstratum est, quantum invehatur calamitatis, novelli dogmatis inductione.

Hæc itaque specimina sunt fructuum schismatis ac prophanæ novitatis, cujus si universa velim prosequi incommoda, nocumenta, ac dispendia, nullus sermonis futurus est finis, ubi malorum immensum se offert chaos. Quis igitur non modis omnibus tam funestorum malorum causas aversetur? Quis non vel ad solum novelli prophanique dogmatis auditum exhorrescat? Quis sanus ac sapiens tam atroci crimine se inquinari sinat? Quis prophanarum novitatum fatores non angue peius odiat, ac velut pestes perniciosissima detestetur? Quis eis vel ave dixerit, aliâve vitæ consuetudine, ac contubernio ullatenus adjungatur? Comprobarem verò hæcenus dicta novissimorum prophanorum Novatorum exemplis, verum, quoniam illa aut sunt ob enormitatem ac multitudinem vix enarrabilia, aut ob evidentiam sole clariora, aut quædam necdum matura, pro nunc superfedendum reor: videat curiosus ac zelosus Lector plura specimina apud Floremundum Remundum *Lib. de ortu, progressu, & interitu hæresum sæcul. XVI.* Arnoldum Havensium, in *speculo heretica crudelitatis.* Wicelium de *moribus veterum hereticorum*, quibuscum novo sponit in parallelo, Franciscum Simonis in tribus partibus *de fraudibus hereticorum*, ac alios. Ego meum prosequor institutum.

PRO-